

servat: ita verò ea fecimus, ut non oculis tantum expo-  
nerentur, sed mentis etiam intuitu cognoscerentur, pe-  
nitius effectui cuius eam causam per discursum assi-  
gnantes, quæ nobis videbatur omnium verissima; insuper  
etiam, ut diligentiorum memoria consuleremus, ea omnia  
quæ quovis Tentamine gesta & explicata fuerant, suc-  
cinctis aphorismis, partim Phenomenorum partim Con-  
clusionum nomine designatis, complexi.

Cessit autem, sit Deo nostro gratia, ita feliciter  
hic primus noster ausus, ut finito collegio, per hos insecu-  
tos tres annos ex honoratiore quoque ordine Viri non uni,  
unum alterumve nostrorum experimentorum, de qui-  
bus aliquid inaudierant, oculis usurpare suis gestirent,  
& postmodum Typographis nostris suasores essent ac  
impulsores deprecendorum prelo suo Tentaminum no-  
strorum, ac tandem etiam hoc ipso, quo hæc scribo tem-  
pore, nova coiret, & par ferè numero illi priori, curio-  
sorum Ingeniorum Societas, quæ iteratum istud Colle-  
gium experimentale, suisque oculis de novo exhibita &  
comprobata Tentaminum nostrorum Phenomena vel-  
let. Cujus equidem petitis uti lubentes assurgemus, no-  
vum Collegii Curiosorum Initium propediem facturi; ita  
priorum quoque desiderio satisfacere non detrectavi-  
mus, licet nec tum cum primum conscriberem isthac Ten-  
tami-